



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniæ Agrippinæ, 1653

§. I. Quid sit Architectura.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)



MAXIMILIANI
SANDÆI

ARCHITECTVRA
CHRISTIANA


Spiritualis. Mystica. Moralis.

Seu

THEOLOGIA ARCHITECTONICA

In Sacra - Scriptura delitescens.

Scrutamini Scripturas. Joa. v. 39.



PRO O E M I V M.

In quo nominum ratio, & usus.

I.  ARCHITECTVRA est adificandi scientia, Græcè Αεχικτετονική, Architectonice. Hoc nomine M. Vitruvius opus suum inscripsit, quod de adificandi ratione conscripsit. Is autem lib. i. cap. i. definit Architecturam esse Scientiam pluri-

bus disciplinis, & varijs eruditionibus ornatam, cuius iudicio probantur omnia quæ à ceteris artibus perfici-

Prima pars

A

untur

2 ARCHITECTURA CHRISTIANA

untur opera. Duo hac descriptione designantur *Architectura decora*. I. quod scientiarum praesidia atque ornamenta habeat. II. quod ipsius iudicio probentur opera, quae à ceteris artibus perficiuntur. Quae quoniam cernuntur etiam in Arte regnandi, seu imperandi, eam comparat Plato *Architectura*, & vocat scientiam *Architectonicam*. Certè, lib. de Regno, *Artem regnandi* probat esse speculativam, exemplo *Architectura*, colloquentes inducens *Hospitem* & *Socratem*, in hunc modum. *Hosp.* Architectus nullus manuum ministerio utitur, sed utentibus praesidet. *Socr.* Ita est. *Hosp.* Iudicium adhibet, non ministerium. *Socr.* Id quoque verum. *Hosp.* Jure igitur speculandi scientiae particeps est dicendus. *Socr.* Et maximè quidem. *Hosp.* Hoc, ut arbitror, ad iudicem pertinet.

Mox uniuersam contemplationem in duo distribuit genera, quorum alterum iudicio tribuit, alterum Imperio, atque aded inter Imperatorias facultates *Architecturam* computare videtur. Certè, quemadmodum singula subditorum ministeria nota debent esse Imperatori, ut sciat quid cuique praecipendum sit, sic ea omnia nota esse Architecto necessarium est, quae operarijs distribuere, & quorum opera iudicare tenetur. Iterum Plato lib. de Philosoph. *Architectura* & *Architecti* exemplo contendit Philosophum plurimis disciplinis imbutum esse debere: & tunc Architecto similem fore Philosophum, cum libero homine dignas noverit disciplinas, artes verò opificumque traditiones, quoniam eas exercere non decet, dijudicare saltem possit. Ibidem mirificè commendat Architectum, utpote omni pretij aestimatione maiorem, qui què inter Sapientissimos Graeciae viros rarè inveniretur. Quod autem rari sint in Regno vel Repub. Architecti ad punitionem diuinam referre licet. Certè, *Isaia* tertio, inter grauisissima supplicia, quae veteri *Ierosolyma* comminatur Dominus, vnum est, quod auferet Sapientem de Architectis.

II. QUIBUS disciplinis instructus esse debeat Architectus, quibus etiam dotibus, tradit *Vitruvius* hac verborum complexione.